



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

vel maximè ad possessionem vel usucapionem exigatur, non tamen sufficit sed requiritur etiam bona fides civili consideratione: cùm enim jus seu commodum usucapiendi legibus civilibus (approbante etiam jure Canonico) boni publici causa inductum sit, ideo si lex prohibet usucapionem, bona fides Theologica usucipienti nihil prodest. Quo etiam sensu dicitur, in L. sed et si. §. si ante ff. de hæred: petit. post litis contestationem omnes mala fidei possessores esse. intellige civili consideratione; propterea quod leges ab eo tempore usucapionem procedere vetant. Abb: cum ex officio: 4. de prescr.

5. Atq; hîc quæstio resolvi potest, an cum invincibili juris ignorantia usucapio fieri possit? Nonnulli affirmant: & non improbable putat Less: lib: 2. cap: 6. dub: 5. Quia juris ignorantia, si invincibilis sit, inculpata est, consequenter bonam fidem inducit, quæ ad usucapionem sufficit. Sed contraria sententia communis ac vera est: quæ traditur apertè in L. 31. ff. de usucap. Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest. & L. 4. ff. de jur: & fact:

igno-

ignorant: juris; ignorantia in usucapionibus
 negatur prodesse, facti verò ignorantiam pro-
 desse constat. Et L. 2. ff. pro emptore si à pu-
 pillo emero sine Tutoris auctoritate, quem pu-
 berem esse putem, dicimus usucapionem sequi
 &c. quod si scias pupillum esse, putes tamen
 pupillis licere res suas sine Tutoris auctoritate
 administrare, non capies usu, quia juris error
 nulli prodest. Simile est, si emas à Præla-
 to fundum ratus Capitulum consensisse,
 cum non consenserit; potest præscribere.
 Si vero arbitratus fuisti, Capituli con-
 sensum non requiri, præscribere non
 potes. Pro solutione autem contrarij
 fundamenti. *Respondeo.* ad usucapien-
 dum requiri quidem bonam fidem Theo-
 logicè, id est, bonam conscientiam: sed
 eam non sufficere; si adsit mala fides ci-
 viliter, id est, quæ vitium aliquod ex le-
 ge habet præscriptionem prohibente.
 quamobrem dicitur in L. quemadmodum.
 C. de agricolis & censitis libro: 11. Mala fidei
 possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid
 contra legem mercatur, adeo ut usucapere non
 possit.